



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

quia tu non poſſe perſuaſum habes. Si alia ſententia animo tuo ſederet, iam nihil dilucidius eſſet; quàm ſeprenarium Sacramentorum numerum ex ſacris literis demonſtrari poſſe.

Quæritur II. quis ſit effectus extremæ unctiõnis. Reſpondet Lutherus loc. cit. *Non negamus per extremam unctiõnem dari remiſſionem & pacem.*

Quæritur III. Quid dicendum; ſi quem Miniſter ioco inungeret, inunctus autem rem ſeriò agi crederet? Reſpondet Lutherus loc. cit. *unctiõnis effectum equè dari inuncto, ac ſi Miniſter ſeriò rem gereret. Fides enim ſuſcipientis non errat, quantumlibet Miniſter erret: Si enim ioco baptizans aut abſoluens, hoc eſt, non abſoluens (quantum ad miniſtrum pertinet) reuera abſoluit & baptizat, ſi credat baptizatus & abſoluendus, quanto magis ungens extrema unctiõne pacificat, etiam ſi reuera non pacificet, ſi miniſterium ſpectes, cum nullum ſit ibi Sacramentum? Fides enim uncti etiam hoc accipit, quod conferens aut non potuit, aut non voluit dare, Sufficit enim uncto verbum audire & credere: quidquid enim credimus nos accepturos eſſe id reuera accipimus, quidquid agat, non agat, ſimulet, aut iocetur Miniſter.*

### *Antipharmacum.*


Ex hac Lutheri doctrina (ſi delirium doctrinæ nomẽ meretur) admiranda conſectaria ſequuntur. Primò, verè & validè baptizari eum, qui ioco vel per ludibriũ aqua perfunditur, aut in fontem aut flumen detruditur; ſi ipſe credat ſe baptizari: cum baptiſmus & effectus eius non pendeat à Miniſtro, ſed à ſuſcipientis fide.

II. Sequitur, ſi quis caupo, imò & cauponis vxor, alicui panem & vinum per iocum, tanquam cœnam, apponat, alter autem cum fide panem & vinum, tanquam



quam cœnam Dominicam, absumat; eum corpus & sanguinem Christi verè manducasse & bibisse; cum hic attendendum non sit, quid Minister agat aut simulet, sed quid cœnans se accipere credat; omne autem illud verè accipiat quod se accepturum credit. *Stat enim Christi sententia;* inquit Lutherus, *credenti omnia possible sunt.* Imò, si Lutheri vestigia pressius premere velis, ipse tibi metipsum baptismum, cœnam & absolutionem conferre & administrare poteris, dummodo credas te accepturum, quod per baptismum, per cœnam & absolutionem dari solet.

III. Sequitur Lutherum à sua itidem Borra, etiam iocante, absolui potuisse: dummodo se absolui vel absolutum crederet. Et cur non credidisset? cum scriptum sit, ut ipse Lutherus citat, *fiat tibi sicut credidisti.*



## DE SACRAMENTO

### ORDINIS.



**Q**VÆRITVR I. Vtrum Ordo sit Sacramentum apud Lutherum & Lutheranos. Respondeo, aliquando esse; aliquando non esse, prout Spiritus spirat, ut patet ex Quæstionibus de Sacramentis in genere.

Quæritur II. Quis Prædicantes ordinet. Respondetur; inordinati Prædicantes.

Quæritur III. Quis primus fuerit, quem Lutherus ordinavit. Respondetur, fuisse M. Georgium Rorarium, Anno 1525. ut habetur Tom. 2. Nouorum operum Lutheri fol. 275.

Quæri-